



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Athanasiī Kircheri Soc. Iesv Diatribe. De prodigiosis  
Crucibus**

**Kircher, Athanasius**

**Romae, 1661**

Serenissimo Principi Leopoldo Gvlielmo Archidvci Avstriæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11300**

SERENISSIMO PRINCIPI  
LEOPOLDO GVLIELMO  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ

Duci Burgundiæ, Ordinis Teutonici  
Magno Magistro, &c.

ATHANASIUS KIRCHERVS

SOCIETATIS IESV

Felicitatem.



*R V X pietatis & vi-  
ctoriae labarum, p̄is &  
inuictis Imperatoribus  
adoratum, Te, Sere-  
nissime LEOPOLDE,  
Imperatorum progeniem ardenter am-  
bit, quem pietas lactauit in cunis,  
quem victoria palmis toties coronauit.  
Dicat hoc Belgium, Martis filia,  
Bellonæ gemella, sub cuius disciplina  
Regnorum omnium iræ pugnant, ipsa  
† 2 Orbem*

Orbem victura facilius , quam ab Or-  
be vincenda , si vñita : ubi non una  
Troia , tot Hectores habuit , quot belli  
duces , & hi Te suum Hectorem ha-  
buerunt . Vbi robustior Hercule fal-  
sum reddidisti vulgatum adagium  
dum LEOPOLDVS unus , non  
vnum triumphans hostem , vocari me-  
ruit \* Pello-duos . Vbi quoties ipse  
pugnasti , tot victorias , quot pugnas  
numerasti . Et nihilominus inter ca-  
des hominum , & strages Urbium , sic  
in Castris vixisti , ut inter sepiet sacro-  
rum Altarium in claustris vixisse vi-  
dereris : innocentiae morum tam tenax ,  
ut , quod prodigium est in Principe , ea  
sola faceres , non quae possent fieri , sed  
quae decerent . Domesticis Tuis neces-  
sitatem quandam probitatis induxisti ,  
neminem inter illos amicum habens , ini-  
micum D E O , inter subditos nem-  
inem fouisti , qui aut non esset optimus ,

auf

aut non haberetur talis: vel inter mil-  
tarem licentiam, milites docebas sancti-  
tatens. Non est igitur mirum, si Crux  
Teutonica, pietatis & Victoriae tesseræ  
Te peculiariter adamauertit, quæ ful-  
gens in Veste candida, amabilem vita  
Tuæ candorem, colore suo hostium tuo-  
rum pallorem exprimit: Tibi præ re-  
liquis mortalibus vni debita, siue ob  
natalium, quo fulges, Imperatorium  
splendorem; siue ob heroicam, qua ful-  
guras, belli gloriam; siue ob Austriacā,  
qua flores, pietatem; siue dñeque  
ob prudentiam, qua polles, præ reliquis  
et i tui Principibus omnino singula-  
rem. Crux hodiè solita splendere inter  
gemmarum sidera in Regum vertice,  
vestem tuam ante gemmeas coronas  
exoptauit, ubi nobile Hieroglyphicum,  
religionem L E O P O L D I sanctius,  
fortitudinem animi generosius, labo-  
rum tolerantiam animosius, zelum fidei  
felicius

felicius, virtutum omnium cultum  
incorruptius exhibet Orbi uniuerso.  
Ad Tuum igitur solium à me defertur  
hæc brevis DIATRIBE plurimoru  
iam dudum votis expetita, quæ Cru  
ces hominum vestibus imprimi solitas,  
vel ut debitæ sceleribus vindictæ præ  
sagium, vel ut ludentis Naturæ pro  
digium explicat. Num hoc me solli  
citum angit, quod tantillum opus tan  
to Principi exhibeam, suosores habui  
buius meæ temeritatis, & fiduciam  
benevolentiae Tuæ, & debitum obser  
uantia meæ. in Mecanatem optimum,  
cum esse nequeam beneficis, tantillo  
munere conor esse benevolus. Tuæ  
me solatur humanitas, qua non quan  
tum, sed ex quanto, non ex dignitate  
Tuæ, sed ex officiosa placendi volun  
tate metiri soles Tuorum in Te offi  
cium, magis expendens, quid possint,  
quam quid debeant. Et quoniam ego  
inter

inter plurimos debeo plus quam possum,  
nec minus tamquam cupiam quam debeo,  
minores pariter, ac maiores ingenij mei  
fructus, utpote Tuos, Tuæ scilicet  
Tuorumque munificentiae radis educa-  
tos, ex affectu, ex debito Tibi dico,  
et consecro. Vos interim ò Superi,  
Patronum optimum LEOPOLDVM  
ad publicam Imperij et totius Europæ  
salutem natum, annis, honoribus, me-  
ritis, donate, ornate, cumulate: ut  
cuius eximijs facinoribus indulsistis fe-  
licitatem, felicitati perennitatem con-  
cedatis. Et Coll. Rom. 25. Martij 1661.

Go-